



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De
Expedita Ad Dei Amorem Via**

Comalada, Miguel

Elvaci, 1685

Cap. XI. De Concupiscentio Oculorum & superbia vitæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60062)

huius diem, quodque divino me-
fisti tribunali necesse sit, de omnibus
illic rationem reddituram. Hisce
adminiculis virgo nefaria, Subpræ-
fecta Castri Superbiæ, prorsus pes-
sum premitur, forasque ejicitur.

*De concupiscentia oculorum,
& superbia vite.*

CAPUT XI.

POrro ad hanc penitus superan-
dam, necessarium est, sociam
illius, jam sæpè dictæ exitialis Do-
mûs Procuratricem, puta Concupi-
scentiam oculorum, quæ magnas
Concupiscentiæ Carnis præbet alas,
itidem profligari. Ista namque sæ-
pius illi materiam subministrat,
quanquam & ipsa sancto Proposito
meo propulsatur. Siquidem ubi ad-
ventat, ita illi aio: Jumentum sum,
foror, novi que, jumentum non con-

cupiscere ea, quæ non habet coram se, ceterasque res superfluas: solaque necessaria expetere, & iis esse contentum: neque etiam in ipsis necessariis esse curiosum, parvipendendo num ephippium & frænum, cæteraque ejusmodi, inaurata sint, aut præsepe vel stabulum usquequaque ipsi accommodum sit, contentum videlicet, si stare aut decumbere liceat. Cùm igitur causa Amoris DEI, me jumentum loco habeam, etiam corpus meum ceu jumentum tractabo. Sicut ergo jumentorum dormitor, dum ea effrænata nimium, caputque huc atque illuc plus satis attollere conspicit, capistro injecto, cervicem illorum deprimat: ita & AMOR DEI quodam me chamo constrinxit, ipso scilicet Pudore aut Verecundiâ, ne vana isthæc curiosius aspiciam, eaque concupiscam. Non enim licet videre, quod non liceat concupiscere. Docuit autem me Amor DEI, ut, ubi quippiam
pul-

pulchrum, jucundum, rarum, singulare, ac affabrè elaboratum conspexero, mox ita dicam: Amorem meum in te collocare nolo, teque respuo, ac merissimæ vanitatis & nihili loco habeo: itaque memor præstantiæ ac dignitatis meæ, in hujusmodi rem tam vilem, abjectam, futilem, caducam, amorem voluntatemque meam non conferam, sed in unum duntaxat summum ac præcipuum bonum, thesaurum, nobilitatem, neque unquam defecturam pulchritudinem, in ipsum nempe amantissimum JESUM meum, qui amorem ac voluntatem meam, reposcit, eamque suo sibi jure vendicat. Hoc pacto altera virgo enervata succumbit. Hisce autem duabus propulsatis, restat extrema, Domina scilicet, una omnium terribilissima, callidissima ac fallacissima, bonis actionibus semper insidians, nomine Superbia Vitæ, quæ dum huc ingreditur, nunc hac, nunc
alia

alia stipata pedissequa, quandoque bonam, quandoque malam adducit æmulationem; sed illicò ex me audit, Jumentura non aliter tractandum est, atque jumentum: idemq; nullo honore, nulla existimatione, sed omni potiùs ignominia & contemptu dignum est. Quandoque ceu querula venit ad me, ita dicens: En! ut Superiores mei me habent, uti se erga me gerunt. Ætate & sapientiâ ac ingenio nihilo aliis inferior sum: & tamen cum illâ & illâ secùs atque mecum agitur. Sed illius ego technas mox deprehendo, eamq; antevertens, aio: jumentum non nisi duriter habendum, tundendum, verberandum est. Nam si herus illius benignè illi faciat, quandoque calcitrabit, aut cum eo joculari incipiet, nec debitum illi habebit honorem ac reverentiam. Enimverò cordatus ac intelligens Dominus jumentis suis, quamvis charis, nullam singularem, indebitam superflu-

fluam exhibebit familiaritatem & amicitiam, sed semper quandam præ se feret gravitatem & auctoritatem: quandoquidem ejusmodi familiaritas non humilitati, benignitati, amori, affabilitati, sed incitiæ potiùs ac stultitiæ tribuitur. Si quidem ea ipsa jumentis suis plus incommodi ac detrimenti, quàm utilitatis adfert. Cæterùm prudens ac discretus Dominus, potiùs operam dabit, appetetque, ut jumenta sua recto pergant itinere, oneraque sibi imposita bene ferant, quàm ut ipsis charus sit, piusque & commodus ab eis dominus habeatur, aut eorum vehatur laudibus, ipsaque cum illo bene conveniant. Hac namque ratione accidit, id quod sæpiùs usu venire solet, ut domini in jumenta vel asinos, & jumenta in dominos abeant, quando domini ratione ac moderatione, vel discretione ita, ut oportet, non utuntur: & hoc ipso jumentis latiora captandi spatia, se-

sé-

séque amplius, quàm deceat, extendendi occasionem præbent: sicque paulatim eò assuescunt, ut non aliò ausint ea domini ducere vel agere, quàm quò ipsa velint. Quòd si ea extimulare aut cædere velint, retrocedunt, & calcibus feriunt. Tum verò si onera abjicere, vel cum ipsis oneribus penitùs ea corruere nolint, conniveant necesse est Domini, finantque, quæ velint, ferre onera, & quæ velint, progredi: sicque ipsi jumentis parere ac obsequi cogantur. Ita nimirum, Soror mea, etiam mihi eveniret, si meis affectibus indulgeri, meque voluptatibus & gaudio affluere contingeret. Atqui is, qui me probè diligit, arguit & castigat me, ne pateam ignominia, penitùsque peream, atque ex amore, quo me prosequitur, optans servare animam meam, corpus meum malè tractat. Neque ipsa aliter, quàm jumentum, tractari peto. Aliàs verò eadem vitæ Superbia, sub
In-

Invidentiæ specie ad me accedens, ait: En! huic id demandatum officij est, illud illi: mei verò nulla habetur ratio vel cura. Alia Præfectæ, alia Sub-Præfectæ, alia Procuratricis fungitur munere: & alia deniq; à secretis est: me verò pro nihilo ducunt, quæ nec ætate, nec bonitate illis inferior sum. Mihi, inquam, nulla committitur functio publica, quò cæteris imperem: sed semper esse me cogunt ceu ancillam culinariam, imò ne id quidem, sed ancillam ancillarum omnium, quando nihil meæ fidei commiserunt. Atque ut jam probè experior, qui plus facit operis, ei minor habetur gratia. Unde posthac nequiter ac improbè me geram. Qui enim ovem se fingit, devoratur à lupis. Id genus multa mihi proponit, perinde ac si mihi cognita non sit, neque unde eæ proficiscantur querimoniam, compertum habeam. Respondeo autem illi: Non eo consilio

filio

filio, soror, mundum reliqui, atque ad hanc me sodalitatem contuli, ut ipsa aliis imperem ac moderer, sed ut aliorum iussa capessam. Siquidem obedientiam pollicita sum: ideóq; faciam id, cujus causâ huc me contuli, húcque vocata sum, quódque me facturam promisi. Non enim à me rationem reposciturus est *DEUS*, neque ex me sciscitaturus, quantum aliis ipsa imperârim, aut quantum honore, officiis, functionibus exaltata fuerim, sed uti præceptis illius obtemperaverim: útq; me Majoribus meis sponte submiserim, animóque me abjecerim ac depresserim. Ego igitur, soror mea, meo fungar officio, eo loco & ordine, quo à *DEO* vocata sum: aliasque alia suis in officiis, eis divinitus demandatis, exequi ac curare sinam. Interim hoc unum certissima sum, me eo in statu degere, qui certæ salutis indicium sit. Is est obedientiæ, submissionis, subjectionis, humili-

litatis status, ex quo nemo potest excidere, nisi qui meditetur scandere sublimiùs. Atque hinc nulla mihi conquerendi causa suppetit, sed potiùs DEUM Opt. Max. laudandi, benedicendi, gratias agendi, magnificèque exultandi, eò quòd maximorum periculorum occasionem mihi subtraxerit ac præcluserit, in quæ nimirum honores & officia pertrahere ac devolvere solent homines imperfectos. Quò facit etiam illa D. Augustini sententia: Nulla re iram DEI in me æquè expertus sum ac didici, quàm quòd me aliis præesse voluit. Et id quidem, Desideri, mirum tibi videri non debet. Ut enim improba isthæc virgo, quæ in ædibus Superbiæ dominatum obrinet, ad omnem malitiam cæteris propensior est; ita ad eam profligandam majori astutia, robore, exercitatione opus est. Et ne te nimiùm protraham, non jam levicula quædam commemorabo: sed

com-

compendiarium quoddam ac generale tradam remedium, quo tum omnes, tum singulas hæc nefarias virgines superare queas. Ubi aliqua earum, qualisqualis ea sit, ad te cum querimoniis venerit, meum imiteris exemplum. Verbi gratia: Dum Concupiscentia carnis queritur, parùm escæ, idque frigidum ac malè præparatum, sibi porrigi, aut vinum acidum esse, atque intra domum res non satis ordine geri, ita illi respondeo: Qui plus habet, quàm meritis sit, non habet, quod queratur. Tu verò nec siliginum panem, aquàmque frigidam mereris, quod etiam Sancti de se senserunt ac professi sunt: siquidem & ita se rei veritas habet. Tu igitur, quæ tam improba, deses, fastidiosa, garrula, omnis devotionis expers, inconstans, atque DEO ingrata es, nec panem ipsum & aquam mereris. Quod cùm ita sit, & tamen nihilominus bonum panem, bonum vinum,

num, obsonia, cibumque habeas, quid est, quod queraris, quando plus habes, quam digna sis? Eundem in modum respondeas illi, dum ob vestes & calceos murmurat. Atque eadem satisfactione utere etiam adversus Concupiscentiam oculorum, dum hæc atque illa habere appetit, dicasque illi: O te miserum! qui nec minima vitæ hujus bona merearis: & tamen habes affatim librorum, ex quibus, modò velis, possis probus ac integer effici, licet alioqui vel unus sufficiat codex: atque insuper habes libros orarios, & alios per plures. Quid præterea requiris? En! hoc ipsum, quod sub specie necessitudinis appetis, superfluum est ac singulare, & voto paupertatis spiritus contrarium. Et licet non penitus violet & frangat, attamen virtutis meritum debilitat ac imminuit. Atque hoc ipsum ei, qui se Christi JESU pauperem profitetur, ingens probrum ac ignominiam addu-

du-

ducit, minori scilicet virtute esse
præditum, quàm fuerint Ethnici,
cultores dæmonum, in quibus Se-
neca egregius dux ac signifer præcla-
ræ ac memorabilis paupertatis fuit,
uti ejus gesta testantur. Hæc eadem
etiam tertiæ virgini, puta Superbia
vitæ, respondere soleo, ubi ea ad
me venit, honorari, amari, ali-
quo in numero haberi, præferri,
officiis affici cupiens. Aio namque
illi: Misera, plus honoris adeptas
es, quàm digna sis, modò id pos-
ses agnoscere. Anne cum damnatis
in profundum tartarorum relegari
merita es? Et tamen vide quid ho-
noris consecuta sis à D E O, dum te
non solùm inter creaturas suas tole-
rat, sed & in suam domum & fa-
mulatum admisit, voluitque te inter
famulas & domesticas, imò inter fi-
lias suas numerari. Et licèt digna
non sis, quæ vel inter ancillas ejus
numereris, tamen in Cubiculariam
suam te adscivit, vultque te noctes
at-

atque dies tecum esse, cum ipso colloqui, ipsum laudare, ipsum benedicere, atque etiam, ut in hac mortali vita Angelico fungaris officio, ejusque specialis amica sis, ejus mentæ assideas, eodem quo & ipse, cibo vescaris. Et quid superba vis amplius? Quò moliris scandere? Visne rursus ascendere eò, unde cecidisti, uti tantum demergaris in profunda infernorum, quantum ipse Lucifer pater tuus? Quid tibi vis ultrà? Visne DEUS esse? Nihil sanè misera, deest tibi. Aperi occætos obrutus, & agnosce tandem plura tibi suppetere, quàm pro meritis ac dignitate tua. Sufficiant ea tibi, quæ præstat tibi DEUS, contentaque esto eo gradu & conditione, quam per servos suos tibi assignavit: certumque habe, nihil fieri absque ordinatione Divina.

Qui-